R A Durkee 198 - Chestnut

March 9th 1822

No. 3



De

Cubeba

In

Gonorrhææ Virulentæ

Curatione

Auctore
Roberto Aloysio Durkee
Baltimoriensi

Nonis Martiis March 9th, 1822
1822

admitted March 30th 1822

De Cubebarum usu
In gonorrhea virulenta
Disputatio Medica Inauguralis.
Quam
Annuente Summo Numine,
et
ex amplissimi Senatus Pennsylvaniensis academici Decreto
pro Gradu Doctoris, Summisque Medecinae
honoribus ac privilegiis consequendis
Ejusdem Senatus examini subjicit
Robertus Aloysius Durkee
Baltimoriensis

Quam caecus inest vitiis amor omne futurum
Despicitur, suadentque brevem praesentia fructum
Et ruit in vetitum damni secura libido
Consiliis inimica bonis   Claud

Gulielmo Gibson M.D.
Egregio
Alma in Academia Pennsylvaniensi
Cathedræ Chirurgiali
Præfecto
pro examia in se benevolentia ac studiis
hanc Dissertationem
Exiguam tamen sincerum observantiæ testimonium
Suus inscribit
Alumnus

Jucundâ sane, illustres academici, et honorificâ lege obstringitur, quisque lauræ Medicæ honorum candidatus, ut scriptam nempe aliquâ de re medicâ dissertationem vobis coram defendat. Hic enim cuivis et sententiam liberrime proferre et simul de vestris in se studiis curisque ad finem usque benevolis, gratos effundere animi

sensus, absque adulationis vituperia fas est. Nostrum etiam Chirographum habetis, quod fama rei secunda quidquid tandem consequamur, id vobis almaque huic Academiae debere nos testetur.

Morbi Venerei illa Varietas, quae impuro ex congressu, contagionis quidem modo, Luis syphiliticae haud absimilis, re tamen discrepans, quippe quae originem ex tabe prorsus diversâ contrahat, Gonorrhaea scilicet virulenta, vobis plane cognita est. Hanc autem, infectis omni tempore ingratam, quandoque perquam acerbam, et cunctis saepe medicaminum Armamentario vix expugnabilem, nemo medendi scientiâ vel tinctus non novit. Contagionis igitur hujus cui typo vel mitissimo aggredientis medicamentum, dubio procul exoptandum, omnes libenter concedent. alii quidem voluptatum sectatores, blandis quod obicem lasciviis ad tempus saltem interponat, alii autem quorum "meliore luto finxit praecordia Titan",* quod tabes qualiscumque

Venerea

* Juvenal.

venerea molesta semper ac foeda habeatur. Sin autem, morbi vis graviorem induerit speciem, si Vesicæ Rectique fines et alia, acerbe invaserit, his addito quòd æger connubio junctus sit, crescit jam mali facies. Parvi plus æquo tribuere momenti, ne videamur, quædam ex longo malorum serie quæ facunda gonorrhœæ consectaria sunt, "Veneris monumenta nefandæ," ob oculos ponere, venia concedatur. Morbi autem tum incommodi fœditatem, Phymosin, Paraphymosin, Alvei tenesmum; Vesicæ Renumque atque etiam, teste Huntero, Peritonei inflammationes; Stricturas, Hernias Humorales; Urethræ ulcerationes, unde fistularum proveniat origo; Purophthalmias, arte sine ullâ sanandas; quietem crebris per noctem Partium doloribus et Stranguriâ molestâ disruptam; deforme, ex corporis Urethræ spongiosi cellulis lymphâ agglutinatis, penis curvamen; cibi potûsque, et Corporis exercitationis Coercitæ, duram necessitatem; animi in super

in supra anxitatem et longinquam morbi curationem quid memorem! Mulier, pauperum in nostro Nosocomio publico, quadam enixa, et pro gonorrhaea doloribus infelix aborta, recens jam nunc in memoriâ viget. Horum licet nec omnia, nec simul occurrant, in sublimi, veluti "Caveat" quoddam, conspectui extulimus: neque vero vulgarem licet, et arti Apollineae plerumque expugnabilem, morbum ideo esse despiciendum. Fluxus hujus puriformis natura et signa, omnibus adeo perspecta sunt, ut eorundem historia, ut hoc operis pretio haud digna excusata facile habeatur. Quod Coinquinatio sit, Lui Syphiliticae et re et naturâ prorsus absimilis, ut supra memoravimus, communi jam fere sensu creditur. Ad modum vero contaminationis quod attinet, duplex praesertim extat sententiâ. De prima, qua scilicet, gonorrhaea tabem cuilibet glandis parti ad libitum, ex veneni absorptione

absorptione, ad urethram transferri, contendit, pauca tantum hac suggerere in animo est. Qui fieri potest, nonnullos vasorum penis absorbentium fasciculos, ceteris otium agentibus, Materiam Gonorrhææ contagiosam prehendere, et cursu nunquam fallente, ad certam Urethræ partem, alioque nusquam, transferre? Veneno extremam ad Urethram transmisso, ulterius quid non propagatur? Morbus nempe, ipso ab osculo lato pollice longius vix progreditur. Hic sane gradum sistere absorbtionis vim, nulla data ratione, temeraria voce asserendum est. Alteram nobis amplecti sententiam liceat, quæ nempe absorptionem ex situ remoto (hunc quamcunque glandis partem, quæ osculo urethræ conterminus non sit, vocamus;) omnino rejicit: tabes aut Urethræ apponitur ipsi, aut morbus non oblinet.

Alii hinc, impuro ex congressu, morbo corripiuntur dum alii feliciores, salva pelle, evadunt.

Flexus venereis momento et nostra de contagionis modo tenere forsan exposita sententia remedia aggredimur. Auxiliorum regiminis Antiphlogistici unus

usus, si vel cibum potumq: vel corporis exercitationem spectetur, ad Gonorrhoeam hanc sanandam, requiritur.

Aeger si lecto recumbens, se teneat, curationem egregie expedit. Hæc sola, alio quovis neglecto medicamine, hominis sanitatem haud raro exequitur. Præsertim vero, si morbo nascenti obviam eatur.

" Principiis obsta, sero medicina paratur,"
"Quum mala per longas invaluere moras" (Ovid)

Ex remediis internis, Copaiva ante alia, fides facile major nobiscum habetur. Fluxus, si chronicam induerit formam, pellucidus et tenuis, astringentia v.g. plumbi Zincive acetas, aut argenti Nitras in aqua solutum Urethræ (pro loco) injicere, consuetudo fert. Diuretica, præsertim quibus terebinthus inest, peruttilia ducuntur; diluentia pariter, ad urinæ ardores permulcendos; Opium, opio Camphora conjuncta, cicuta; (quorum prius, sub pillulæ specium, per Anum melius insumitur) partium doloris levandi et somnum invitandi causâ, præscribuntur.

Abdominis simul Alvus pharmacis, pro re natâ, laxativis

laxativis rite ordinetur. Tenuem hac usitatioris medendi rationis adumbrationem, exhibent.

His igitur, et aliis, id genus, remediis in arexitum adhibitis, fuorrhaa hac venerea arti dare manus plerumque cogitur. Neque verò, curationem hac omnia certam et perspectam efficiunt. Morborum enim de catalogo nullus, gravoribus exceptis, teste Dre Chapman nostro, et ægro et medico molestior identidem deprehenditur. Medicaminum aliquando cohorti diu se obsistit indomitus, donec suis tandem ipse conatibus quasi defatigatus, tardo vix gressu recedit. Copaivam, cui in universum, ~~plerumque~~ tanta præ cæteris fiducia habitur, modò perquàm efficacem, modò fallacem, quis non novent? Sit quidem, an variæ rerum conditioni, varia quæ remedia poscat, an verò Copaivæ adulterio (quid enim in toto Medicaminum Catalogo adulteratius) debeatur, animo fidenti vix definire ausim: huic tamen tribuendam ipse rem, certè opinor. Copaiva denique, ut paucis absolvam, palato semper, ventriculo

persæpe

pensapé
quid se
dore d
itictur,
Temp
haud i
super in
strum p
Hoc
am cu
plicissim
tudinar
cepta est
Chirurgi
ventu ha
Gonorrho
tudibus
Piper no
pta pure
remediis

persapé molestissima, habitum insumentis et quid-quid seu vestium seu aliis rei attingat, infesto suo odore diu contaminat, et quod his pejus est, quin vitietur, rarissime deprehendi potest.

Tempus jam adest, quo remedium insumenti haud ingratum, adulterio minus obnoxium, laudibus nuper insigne, et efficacitate satis probata, ad conspectum vestrum producatur: hoc Cubebam facilè agnoscetis.

Hoc multis jam annis ad gonorrhaeam venereum curandam, Indos inter Orientales, eventu quidem felicissimo, usurpatur. In publicis Britanniae valetudinariis, periculo et amplo et fausto, subjici jam cœpta est. Gonorrhaea infectos Nosocomii Divi Georgii Chirurgus et Dispensario medico praefectus, D Jeffraus, eventu haud minus secundo pertractat. Opusculum de Gonorrhoea curatione, medicante Cubeba, ubi hanc laudibus cumulat, in lucem haud pridem protulit. Piper nostrum caudatum aequis amplissimis quae subjecta periculis non solum aliis anteponendum ipse remediis verum etiam si morbi ulla sit medicina

propria

[illegible]propria,
[illegible]a exig[illegible]
[illegible]tet, ha[illegible]
[illegible]antibus,
[illegible]u Piper
[illegible]ata est
[illegible]um Ind[illegible]
[illegible]promis
[illegible]vocant.
In ver[illegible]
Pou Bn[illegible]
compertum
commentis
[illegible]tis Co[illegible]
[illegible]rum Co[illegible]
tandas,
[illegible]arandu[illegible]
[illegible]ictor C[illegible]
[illegible]anciage
[illegible]ime flo[illegible]

propria, eam hanc ipse colligit. Experientia quidem nostra exigua, tametsi Cubebam tantis extollere laudibus vetet, hanc tamen, quippe qua certiorem, nobis curantibus, successum præstiterit, aliis anteponimus. Cubeba, seu Piper Caudatum Linnæi, quoad usus diu cognita est: planta autem quæ Baccam producit, insulas dum Indicas perlustraverit viator inclytus Thunberg prorsus latebat. Hanc Galli poivre pédiculé nomine vocant. Komucus a Duriensibus nomen inditur.

An verò planta eadem sit, quam idiomate Græco Κουβηβη nuncupaverit Actuarius haud ita compertum habemus. Dicitur etiam, in 61 medicamentis quæ Theriacam Andromachi seu Mithridatis conficiebant, locum tenuisse. Cubebam in ciborum condimenta, ad venereos quoque motus excitandos, præsertim verò ad Gonorrhœæ fluxum curandum adhibent Indigenæ Orientales. Planta auctore Craufard, vincalis est, et in Guinea, in Java Franciaque insularum sylvis, sponte sua ac uberrime floret Cubebarum baccæ, quas medicos

ad

ad usus solas adhibemus, rotunda corrugata et magnitudine et colore piperis Negri granis subsimilo, gracilem in pediculum producuntur.

Grana quidem optima, pipere nigro aliquantulo Majora colore subnigro seu pullo, modice corrugata, bené enucleata, pondere justo, oleo aromatico plena, et gustui pungentia; sin vero pallida nimisque in rugas contracta, leviuscula et nucleis persiccatis, insipida; utpote nimis vetera vel ante Maturitatem decerpta, repudianda sunt: nihili enim valent nisi Pharmacopolæ.

Plantæ Historiâ sic breviter præcursâ, administrandi* insumi pro libitu potest. Tincturæ formulam hanc proponit idem Jeffraus   Rx Bacc Cub ℥iii
Vini tenerioris O i
Digere per dies 7. et cola. ~ Dosis 31 ad 32 [illegible]
ter quaterve per diem   Pulverem granorum simplicem, aliens utpote stimulo expertem, dosi drachmæ unius ter quaterve, ut supra, pluris æstimamus.
Cubeba, teste Jeffræo, dum intestina roborat, alvum leniter exonerat

administrandi modum aggredimur. Baccarum vel pulvis simplex vel tinctura insumi potest &c

exonerat sin autem constrictas teneatur, oleum Ricini insumere expedit. Severus interea regiminis antiphlogistici usus exigitur. Largé insumpta secretionem urinariam auget cubeba, et odore suo imbuit. X

His omnibus rite peractis, fluxus, interjecto plerumque dierum 2 vel 3 spatio, quantitate minuitur, viscosus fit, et exinde, sensim sine sensu, disparet. ~~Eg~~

Ægrum chronicus si fluxus invaserit, per injecta, ut supra, astringentem tractandus est. Morbi, apud nosocomium Castelli Edenburgiensis, vario medicaminum usu, medicis Johnston et Bartlett, curati, ratio hoc constat. Per inject. argent. Nitrat. Diebus 17½ Per abstinentiam solam Diebus 8½. Per usum Capsici annui; diebus 13½ Per Camphoram 9. Per Cubebam 5½ Ratio dierum, quibus, curante Jeffreo ægri 16^{m}, usu cubebarum convaluerunt, erat 8¼.

Ex hac temporis ratione, qua, diversis usi remediis, Gonorrhœâ infecti ad sanitatem redierint, cubebam nostram, cæteris præstare pharmacis constat. Quod mira quandoque sit efficacitate, ex hoc cognoscatis.
morbum

morbum, illa medicante, una vice sæpius 3 vel iti um 2 dierum spatio penitùs disparuisse. Morbo autem expulso, medicina pro recursûs periculo illicò omitti non debet. Cubebam interdum vim vix ullam in fluxum hunc venereum exercere, Medicatricem, agnoscimus. Id verò, vili medecinæ conditioni, quæ multis jam annis, in obscuro quodam Pharmacopolii angulo neglecta, haud plus, quàm scobis lignea tantum, virtutis habet Hæc, illustres Academici, tamitsi pauca, Cubebam efficacitate aliquoties saltem promptissimâ perinsignem, vindicare sufficiunt

Infectos autem singulos tractandi rationem, ad longum enarrare, nec vestræ quidem patientiæ, nec nostri hujus tractuli terminis consentaneum videritur; Ex tenui nostrâ et Copaivæ et Cubebæ experientiâ, sententiam contrahere si liciat, hanc non solum efficacissimam, verùm etiam illi longè anteponendam ducimus. Hæc pretera se ipsum fallat corporis conditionem, teste Jeffreo, ad copaivæ usum præparat. ✗

Hæc etiam medicante, stricturas, vesicæ testiumque infla-

in flamma
in idem, c
va prastat
taminat
tlis mini
in Zaxa fl
prasertur
Vulgam, p
Hu
fol in Scri
tems, pro
ipit
"Apo
sed dum
modo in
intuito, et
tum, nil
tibetis

1° Cubeb

inflammationes, et cætera Gonorrha consectaria varius incidere, credit idem Lippaeus. His certe Copaiva præstat agro gratior est et habitum haud contaminat. Baccæ insuper, specie tam peculiares, est adulterio minus sint exposita; tamque abundanter in Java florent, ut testante Crawford, si invectio quæreretur, haud majoris quàm piper nigrum vulgare pretii constarent.

Hic certe de mendis et style vitiis, quid quid forté in scribendi rationum subrepserit errorum, excusationes, pro more gentis scriptorea, profene decorum esset

"Apologon audi lector et verum puta"

sed dum vobis innotescit, tractulum nostrum modò inchoatum, animo studiis graduatoriis intento, et raptim per prælectionum intervalla scriptum, nil compti multo minus numeris absoluti expectabitis

Jam vero Academiæ Conscripti, dum vobis et Cubeba nostra vale ad tempus dicamus, quanti vos et

et Academiam hanc vestram æstimemus oblivisci
non possumus. Hæc quidem famâ, studiorumque ratione,
et commodis discendi facultatibus nulli cedens, dum
Vos Gubernaculum tenetis, meritis ut hic usque laudibus,
Sol artis medendi Americanus, longè lateque prælucebit:
et hoc opprobrio obliterato, "In the four quarters of the Globe
who reads an American book? What does the world
yet owe to American Physicians or Surgeons?" — dicere
cum Poeta valeatis "Quæ regio in terris nostra non plena laboris"

Vestram erga nos benignam morum urbanitatem, immo
Paternam de profectu solicitudinem quid memorem? nos
trâ estis omni laude majores. Quod verbis deest sincerus
suppeditet affectus. Vestrum denique unusquisque sic
habeto, quod qualiscunque res seu prosperas seu iniquas
adipiscamur, quascunque terras peragremus: in pectore nostro
"Semper Honos Nomenque tuum Laudesque manebunt"

Valete.

Dat. Nonis Martiis

